

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

F. Primogentio Carissimi in Christo filij nostri A. illustris Regis Castellæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

pore quo tu vel filius tuus Sarracenos impugnatis, ipsam præsumperit violare, ipsi eum per censuram ecclesiasticam sublato appellatis impeditio compescant. Monemus igitur serenitate regiam attentionis & hortamur quatenus in devotione nostra & sacrosancta Romana Ecclesia matris tuae firmiter perseveres: quia nos in his que à nobis secundum Deum duxeris postulanda, regiae serenitati assensum apostolicum libenti animo impendemus. Datum Laterani VIII. Kal. Martij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

F. PRIMOGENITO CARISSIMI  
in Christo filij nostri A. illustris  
Regis Castelle.

Epist. 5.  
super codem. Vm personam tuam inter Christianissimos Principes speciali prerogativa in Domino amplexemur, preces ac petitiones tuas, in quibus possumus, libenti animo exaudimus, & ad ea grataanter intendimus qua devotioni tua novimus complacere. Sanè venientem ad apostolicam sedem &c. ut in alia usque promovere. Nos verò ne laudabile tuum & patris tui propositum valeat ab aliquibus aliquatenus impediri &c. usque Hispaniae, cum quo idem pater tuus treugam vel pacem firmavit, tempore quo ipse vel tu Sarracenos impugnatis &c. usque compescant. Monemus igitur discretionem tuam &c. ut in alia usque postulanda, tibi assensum apostolicum libenti animo impendemus. Datum Laterani VIII. Kal. Martij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

ABBATI ECCLESIAE SANCTÆ  
crucis sitae super fluvium Englie juxta oppidum ejusdem nominis, ejusque fratribus tam presentibus quam futuri regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 6.  
De confirmatione privilegiorum. Votiens à nobis petitur quod religioni & honestati convenire dimiscitur, animo nos decet libenti concedere & pertinentium desideriis congruum suffragium impetrari. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & sanctissimæ crucis Ecclesiam à bona memoria Illeberto quondam Pietavensi Episcopo & matre eius Theberga ejusque fratribus Senebaldo & Manasse construam ad exemplar piæ recordationis Urbani Papæ secundi prædecessoris nostri, cuius privilegium inspeximus, hæc in parte corrosum, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & presentis scripti privilegio communimus. In primis siqui-

dem statuentes ut ordo canonicus, qui secundum Deum & beati Augustini regulam in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis idem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quaecunque possessiones, quæcumque bona eadem Ecclesia in praefentiariam justè ac canonicè possidet, aut in futurum concessionem Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fideliū, seu alii iustis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo Ecclesia ipsa sita est, cum omnibus pertinentiis suis. Sancti Martini, beatæ Mariæ, & sancti Petri Ecclesiæ in Englia, cum omnibus pertinentiis suis. Sancti Mauricij & sancti Leodegarij Ecclesiæ de Vico, cum suis pertinentiis. Ecclesiæ sancti Petri de Buxeria sitam super fluvium Gartimpæ cum pertinentiis suis, sancti Aniani de Rampeio, sancti Martini de Tornum & de Izorio Ecclesiæ sitas super fluvium Croſæ cum omnibus pertinentiis suis, sancti Petri de Capella rubæ & sancti Petri de Longoprato Ecclesiæ cum omnibus pertinentiis suis, de Ecclesia sancti Nicolai de Letone septem solidos cenuales Pictavensis monetae, in Ecclesia sanctæ Mariæ Magdalena de Ruffaco decem solidos Andegavensis monetae, in Ecclesia sancti Vincentij de Noum quinque solidos Andegavensis monetae, decimas de campagna Fontisterlandi, de Tornum, de Izorio, & de Vico, decimas de Exodon, de Podio Ergnos, de Saleriis, de Lestap, de Closo Petri, de Cenius, & de Closo Samuelis de Thaeco, molendina de Tornum & de Beraut, granjas de Monte alto, de Berault, de Villena, de Bileteria, de Fontanis, de Rocha, & de Perrecio, cum omnibus pertinentiis suis. Præpositum autem seu Abbatem vel cuiuslibet dispensationis ecclesiasticæ ministerium, nisi quem suæ professionis communis electio fratrum vel pars consilij senioris secundum Deum & beati Augustini regulam elegerit, vobis præferri auctoritate apostolica prohibemus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum licet hanc prefatam Ecclesiam temere perturbare &c. usque profutura. salva sedis apostolicæ auctoritate & dioecesani Episcopi canonica justitia. Si quis igitur in futurum ecclesiastica &c. usque subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura &c. usque inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in

Sff. ij